

CONCIO III.

VERNUM TEMPUS RESURRECTIONIS TYPUS.

I. Quia omnia tunc reviviscunt. — II. Quia omnia innovabuntur. — III. Maxima erit resurgentium varietas. — IV. Varia sensuum oblectamenta accedent. — V. Omnes quidem resurgent, sed non omnes immutabuntur.

THEMA.

Ibi cum videbitis. Marci ult.

Scimus ex Matth. c. XXIV. diem resurrectionis omnium verno tempore a Christo comparatum esse quando eam ficus germinanti et grossos producenti similem esse dixit; unde sentiunt aliqui patres non absque magna ratione communem illam resurrectionem fore eodem plane die, quo Christus resurrexit. Resurrexit autem die 27. martii (siquidem die 25. ejusdem mensis, uti incarnatus, ita post annos 34. passus est, ut ex communi sententia ostendit Corn. a Lapide, in c. XXVII. Matth. XXXV.) unde probabiliter habemus resurrectionem omnium nostrum futuram in martio, et 23. ejus die, necnon summo mane quo et surrexit Dominus. Fuit enim Christus resurgens exemplar simul et causa nostrae resurrectionis; cujus ipsum quoque vernum tempus speciem aliquam exhibet, dum in eo omnia, prius quasi sepulta, resurgunt. Ita sentiunt Lactantius, l. VII. c. XIX. S. Anselm. in elucidario; Macarius, hom. V. et XII. necnon recentiores aliqui, Cyril. Jeros. catech. IV. qui propterea ait resurrectionem Christi in horto facta, ut spem nostram confirmaret, qua nostram resurrectionem et ipsi expectamus, sicut veris tempore expectamus absque ulla dubitatione redivivos flores et herbas in hortis. Ergo exspatiemur nunc in hortum, ut ibi speciem aliquam resurrectionis nostrae intueamur.

I. Cernimus in vere omnia, quae prius sub nivibus, et gelu mortua quasi et sepulta erant, reviviscere, resurgere, germinare, et reflorescere: uti semina terrae mandata prius ibidem corrupta et macerata, flores fave demessos, aut solis ardore arefactos, arbores decore suo nudatas. Idem videre erit in die resurrectionis, ut praedixit Deus per Isa. c. LXVI. illis verbis: *Videbitis et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt, et cognoscetur manus Domini, h. e. virtus et potentia Dei. Hiemem igitur nunc percurramus, ubi unus post alterum cadit quasi semen in terram, vel quasi folium ex arbore; et tandem omnibus verificabitur illud, quod de decem virginibus Christus dixit: Dormierunt et dormitaverunt omnes. Sed repente me-*

dia nocte, h. e. summo mane, clamor audietur: Surgite mortui, ecce sponsus venit. Pulchre Minutius Felix causidicus Roman. in colloquio Octavii Christiani cum Caecilio gentili resurrectionem ei possibilem persuadens: « Vide, inquit, quam in solatium nostri, resurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergitur et nascitur: astra labuntur et redeunt: flores occidunt et reviviscunt: post senium arbusta frondescunt: semina nonnisi corrupta revirescunt. Ita corpus in saeculo, ut arbores tempore hiberno occultant virorem ariditate mentita. Quid festinas ut cruda hiems reviviscat et redeat? Expectandum etiam corporis ver est. » Eodem seminis argumento ostendit S. Paulus I. Cor. XV. futuram resurrectionem: *Sed dicit aliquis, inquit, quomodo resurgent mortui? Quali autem corpore venient? Insuper, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, utpote tritici, aut aliquis ceterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult, et unicuique seminum proprium corpus.* Qui ergo mira sua potentia granum tritici, floris aut arboris in terra seminatum et mortuum, producit in spicam tritici, florem, arborem: idem etiam humanam carnem; et ossa in cinerem resoluta reproductet in humana corpora. Quo argumento scribit S. Gregor. l. XIV. mor. c. XXIX. se convicisse Eutychium patriarcham Constantinopoli, ut eis moriens pellem suam manibus apprehendens diceret: *Confiteor, quia in hac carne resurgemus.* Ad hoc etiam animis nostris fortius imprimendum Christiani corpora defunctorum non more Romanorum, comburere, aut aliarum gentium, feris devoranda objicere; sed in terra sepelire voluerunt, ut velut semina terrae mandata suo tempore germinatura et resurrectura esse sciremus. Audiamus etiam haec de re S. August. ser. XXXIV. de verbis apost. « Tota, inquit, hujus mundi administratio testimonium est resurrectionis futurae. Videmus certe hiemis tempore vel adventu arbores spoliari pomis, nudari foliis, sed eas etiam verno tempore speciem resurrectionis exprimere; quae primo quidem incipiunt turgere in gemmis, tunc ornari in floribus, et vestiri foliis, et postmodum pomis gravari. Interrogo *¶*, infidelis homo, qui de resurrectione dubitas, ubi sunt ista, quae tempore quo Deus disposuit, producantur? Dic mihi, ubi latitant, antequam producantur? Quae nusquam quidem videntur: sed tamen Deus, qui omnipotens est, et ea ex nihilo condidit, secreta sua virtute producit. Hinc jam ad campos et prata respicite, quae aestate transacta herbis suis spoliantur, ac floribus, et nuda remanent ipsa

spatia terrarum: sed iterum verno tempore revestiantur, et novo ubique germine incipiente letatur agricola. Certe herba quae ante vixit et moritur, rursus reviviscit ex semine: sic etiam et nostrum corpus reviviscet ex pulvere. » Eo etiam respexisse videtur Oseas, c. I. quando dixit: *Magnus dies Jezrael: Jezrael idem est quod semen Dei.* Quid autem corpora defunctorum nisi semen Dei, in terram projecta, et ab eo rursus ad vitam excitanda? Unde ibi Cyrillus: « Magnus revera dies Christi, inquit, quo omnes defunctos excitabit, et descendet quidem de caelo, sedebit autem in throno gloriae suae, et reddet unicuique secundum opera sua. » Praeter haec voluit Deus subinde per miraculum hoc ipsum demonstrare. S. Hardwicus archiepiscopus Salisb. in festo S. Andreae pergens ad ecclesiam dedicandam in Tale, dum per silvam (inde procul dubio, a miraculoso flore postea vocatum) transiit, aridum ramusculum ex arbore decerpit. Quem dum aliquamdiu manu gestaret, revivuit et floruit, qui postea a fidelibus diu custoditus fuit. Refert Henric. Canisius, tom. II. antiq. lect. S. Martinus ecclesiam consecraturus Turonensem, cum vehementer reliquias a sanguine S. Mauritii et sociorum martyrum expeteret, nec habere posset, cultro exempto apud Augunenses gramen apprehendit, et cespitem excidit, indeque non exiguam vim sanguinis (utique martyrum illorum, quem fuderant) in vasculum expressi, quo et templum consecravit, Surius, in vita SS. Mauritii et sociorum. Ad haec lilia toto anno emortua atque arida, quae collegerat Sanctus Severinus presbyter, et in templo sepulchri sui reposuerat, die quo mortuus fuit, singulis postea annis revivuerunt, ut scribit Gregorius Turo. de gloria confess. ca. XXX. Mespilus quoque ab eo per imprecationem arefacta, ejusdem precibus ad vitam et virorem rediit, ut ibidem, cap. L.

II. Videmus tempore veris mundum innovari, ex tristi laetum atque hilarem, ex deformi pulchrum et ornatum, ex nudato vestitum, ex paupere divitem ac locupletem fieri. Idem continget electis in die resurrectionis, ut testatur apost. loc. cit. « Seminatur in corruptione, (corpus) surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. » Ergo primo, pro corruptibili hoc corpore, tot miseris, morbis, molestiis a frigore et aestu, a fame et siti, a sudore et dolore, a bestiis et hominibus vexato accipient electi corpus incorruptibile, quod nihil horum patietur, neque pati poterit. Cum tem-

plum Salomonis aedificaretur, *malleus et securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo*, III. Reg. VI. quia nimirum lapides, ligna prius alibi tam exacte fuerunt elaborata, in lapidicinis et fabrorum officinis, ut in ipso loco templi sine omni strepitu compaginarentur. Pari modo electi in terra tusionibus et pressuris expoliti lapides, ibi sine omni molestia suis coaptantur locis.

Secundo, pro ignobili, opaco, faedo, accipient nobile et fulgidum, clarum et gloriosum, quale habet sol, luna, et stella. Hujus claritatis speciem aliquam cernimus in vermiculis noctilucis, et in ferro, cum igitur. Cui accedunt varii et vivacissimi colores, quibus exornabuntur supra omnium picturarum elegantiam, ut inter alios docet D. Antoninus, in summa III. parte, tit. XXX. cap. VII. Videmus e cineribus fieri vitra instar crystalli pellucidissima, depicta quoque vivacissimis coloribus ad miraculum. Videmus e limo terrae fieri vasa figulina subtilissima, nitidissima, qualis majolica varie depicta. Quod ergo vitriarii et figuli e cinere et luto possunt, non poterit Deus millies et millies excellentius? Demonstravit hoc Jeremie Deus mittendo eum ad domum figuli, qui cum fecisset aliquod vasculum, quod inter manus ejus dissipatum erat; mox eo dissoluto fecit ex eadem luti massa, vas aliquod pulchrius, quod ipsi placeret. Unde Dominus: *Numquid sicut figulus iste non potero vobis facere?* Jer. XIX.

Tertio, pro infirmo, tardo, pigro accipient robustissimum, agilissimum, celerissimum, ut teste August. lib. XXII. de civitate, cap. ultimo, mox ibi esse possint corpore, ubi volunt esse spiritu, sicut angeli mora brevissima et imperceptibili. Nulla ibi fatigatio, nullus languor, nulla virium remissio, nulla perveniendi remora erit. Quemadmodum ergo angelus tulit Habacuc in ictu oculi ex Judaea in Babylonem, quingentis miliaribus distantem, et eadem celeritate retulit, Dan. ult. ita poterit anima beati deferre corpus suum quacumque voluerit summa celeritate. Hic jam plumbei sumus, et domiportae, nobismetipsis graves ob molestam corporis sarcinam: *ibi mutabunt electi fortitudinem, assument pennas, sicut aquilae volabunt, current, et non laborabunt*, Isa. XL.

Quarto, pro crasso et animali, quod indiget cibo, potu, somno, loco, accipient subtile, celeste et quasi spiritale, quod omnia penetrare, nusquam poterit excludi aut impediri, nec egebit cibo, potu, somno, ac determinato loci spatio, uti corpus Christi gloriosum in eucharistia, et post resurrectionem, quod penetravit lapidem, januam, caelos, quomodo radius solis vi-

trum penetrat aut nubem. Quatuor has dotes expressit apost. I. Corinth. XV. Primam cum ait : *Seminatur* (corpus) *in corruptione, surget in incorruptione*. Secundam : *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria*. Tertiam : *Seminatur in infirmitate, surget in virtute*. Quartam : *Seminatur corpus animale, surget spiritale*. Quæ ideo dotes vocantur, quia uti & sponsæ datur, ad vitam honeste conservandam, corporis ornatum, etc. ita etiam dotes illæ corpori velut sponsæ animi adduntur supra essentialem beatitudinem, ut habeat et ipsum præter bona sponsi, quæ est anima, peculiarem suam oblectationem, ornatum, honorem. Nunc corpora nostra velut arbores sunt in bruma, sine foliis et fructibus, sine omni decore; et si aliqua videntur esse gratiosa, aut speciosa, quasi arbores nive conspersæ sunt, quæ liquescente nive suam ostendunt nigredinem, nuditatem et deformitatem. Ver illud resurrectionis aliam eis speciem inducet. Jam si homines naturali quadam propensione tam studiosi sunt in quærendo corporis nitore, candore, ornatu et munditie, omnique nævo resecano, ut scindi membra sua, et uri patiantur; quid non agendum patiendumque, ut illis dotibus ornemur? Quid non excogitant aliqui, ut molestias, dolores, morbos et mortem arceant? Celerrime iter peragant quid si volare possent? Montes et maria, terram, cœlos ipsos penetrare? Omnia hæc poterunt, si cum electis resurrexerint. Videntur hoc Christiani ubivis terrarum ex majorum antiquissima consuetudine profiteri, dum in die paschæ cum novo corporis vestitu, si non ex toto, ex parte saltem, solent prodire, quasi memores resurrectionis suæ in qua sperant se cum splendido et glorioso corpore prodituros e sepulcro.

III. Vidimus in vernantibus floribus multam varietatem, in colore, odore, magnitudine, virtute, pulchritudine quibus alii alios excellunt, et quasi inter se certant de præeminentia (quæ varietas miram oculis jucunditatem præbet) interim tamen singuli flores aliquid in se continent, quasi singulare. Pari modo in electis maxima erit varietas pro diversitate meritorum: sicuti in floribus et arboribus summa est diversitas pro varietate seminum. Unde apostolus loco citato subdit: *Deus dat unicuique seminum proprium corpus. Non omnis caro, eadem caro, sed alia quidem hominum, alia pecorum, alia volucrum alia autem piscium*. Et mox: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum*. Inter stellas quidem alia aliis major et lucidior apparet: non tamen adeo magna et multiplex

varietas a nobis deprehenditur: sed solum magnitudinis gradus distinguuntur ab astronomis; ac in carnibus pecorum, volucrum, ac piscium, quæ in cibum veniunt, maxima reperitur: uti etiam in flores, herbas, arborumque fructus: quæ diversitas non modo nauseam pellit et tædium, sed rerum novitate appetitum semper acuit, accendit recreatque. In cœlo vero inter electos gloriæ accidentaliter varietas quasi immensa erit, quæ per æternitatem omne tædium pellet, et semper recreabit, quando singulorum diversæ coronæ, eorumdem diversa merita; quibus eas meruerunt, in mentem revocabunt. Ergo sicut alii flores sunt aurei coloris, uti chrysanthemon; alii cærulei, uti hyacinthus; alii purpurei, uti rosæ et tulipæ; alii candidi, uti lilia; alii variegati, alii aliorum colorum; alii solo colore, alii solo odore, alii utroque eminent; ita in beatis pulcherrima varietate alii fulgebunt quasi aurei propter opera charitatis in Deum et proximos: alii quasi hyacinthini cœlesti colore, propter vitam, quam duxere contemplativam; alii purpurei, ob pro fusum martyrio sanguinem; alii velut lilia candidi, ob virginitatem: alii splendore ob alias virtutes emicabunt: alii pluribus virtutibus, uti Joannes Baptista et evangelista, Agnes, Catharina, et similes: qui simul fuere virgines et martyres, et doctores; alii solo colore, qui sibi tantum vitam bene duxerunt, alii etiam odore, qui et aliis bonus odor vitæ, doctrina et exemplo fuerunt. Indicarunt hanc varietatem decem illæ cortinæ in tabernaculo expansæ, ipsum undique operientes, quas fieri jussit Deus *varietas opere plumario*, hoc est, variis coloribus texture arte insertis: ex bysso, hyacintho, purpura et cocco, Exod. XXVI. Decem cortinæ sunt omnes electi, qui per observantiam decem præceptorum variis virtutum coloribus Ecclesiam militantem exornarunt, exornabuntque triumphantem: alii bysso virginitatis, alii hyacintho contemplationis, alii purpura martyrii, et alii cocco charitatis. Hujus miræ et beatæ varietatis typam aliquem proponit nobis Deus in vernalibus floribus, ut ex fragili hujus exili aliquid decore mentem elevemus ad decorem cœlestis patriæ, et certemus inter nos virtutibus, quibus inter electos præ cæteris emineamus: quo modo Henricus Landgravius Thuringiæ proposuit in hastiludio, anno millesimo ducentesimo vigesimo septimo, equestri nobilitati arborem aureis et argenteis foliis plenissimam, ut qui hastam frangeret, argenteum, qui adversarium equo dejiceret, aureum folium in præmium acciperet. Ex chronol. Misnensi

IV. Præter hæc accedant veri varia

menta, quibus hominum sensus mire recreantur: visus terræ et arborum virore ac floribus: auditus vario et dulcisono avium cantu: gustus novarum frugum et herbarum primitiis, necnon pullorum delicatis carnibus: olfactus florum et herbarum odoribus: tactus suavi recubitu in gramine et sub umbræ refrigerio. Hinc jam ab exilio ad patriam ascendamus: ubi oculi recreabuntur imprimis cœli splendore incomparabili, beatorum gloria et societate spectaculorum mira et infinita multitudine: aures suavissima harmonia, dulcissimis colloquiis: gustus suum habebit nectar et ambrosiam: olfactus suos odores, qui si e sanctorum etiam cadaveribus et sepulcris sæpe incredibili suavitate emanarunt, multo magis e corporibus gloriosis emanabunt: quia florebut sicut lilium, et sicut odor balsami erunt: similiter et tactus suas delicias habebit, adeoque oculi, aures, nares, os, manus, guttur, jecur, pulmo, ossa, medullæ, etc. beatorum mirabili delectatione et dulcedinis sensu replebuntur, ait S. Ambros. lib. de similitud. cap. XVII. Denique omnes voluptates, quæcumque in paradiso fuerunt umbra tantum et pictura voluptatum cœlestium erant, uti docet S. Basilius, hom. de paradiso, quia scriptum est: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos*, Ps. XXXV.

V. Denique, sicut in vero plurimæ quidem plantæ revirescunt et quasi reviviscunt, non tamen omnes: pleræque enim silvestres arbores non innovantur. Reviviscunt etiam herbæ malæ ac longe majore numero, quam bonæ. Vestiuntur rursus foliis suis arbores multæ steriles ac silvestres, et quidem integræ silvæ, quarum respectu pauca valde sunt fecundæ et domesticæ, quæ in hortis seclusæ sunt. Idem continget in resurrectione: *Omnes quidem resurgemus*, ait apostolus, loco citato, *sed non omnes immutabimur*; ad gloriam videlicet. Major longe pars resurget ad ignominiam et gehennam: non in corpore glorioso, sed fædo, misero, passibili, licet incorruptibili. Unde de electo quidem dicitur, Ps. I. *Erit tanquam lignum, quod fructum suum dabit in tempore suo*. De reprobis vero: *Non sic impii, non sic; sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ. Ideo non resurgent impii in judicio, videlicet in concilio justorum*, uti mox sequitur. Schema aliquod hujus discriminis (si verum est quod Hebræi antiqui tradunt) ostensum est in sepulcro prophætæ illius boni, qui in pœnam temporalem alicujus levis transgressionis a leone occisus fuit, III. Reg. XIII. et alterius mali, qui illum seduxerat, atque in ipsius sepulcrum illatus fuit. Nam qua parte sepulcri jacuit ille bonus,

flores eruperunt speciosi, et suavitate olentes, ex parte vero mali seductoris, creverunt fædi et fetentes, spinæ et urticæ, uti refert ex rege Salomone Sanctius in eum locum, et in Job, cap. XI. Quis autem nescit plures esse herbas agres-tes inutiles, quæ a pecoribus depascuntur, quam hortenses, quibus homines vescuntur? Quare uti hodierna dies erigit nos in spem et lætitiâ una ex parte, deprimit tamen ex altera in timorem et tristitiâ. Si enim audiremus minorem dumtaxat hominum partem resurrecturam ad gehennam, certe omnes merito totis artibus tremere deberemus et quanto magis cum audimus fore longe plures qui resurgent ad confusionem, quam qui ad gloriam?

Ergo nos hodierna die ita gaudeamus, quemadmodum agricolæ gaudent hoc tempore, cum aspiciunt segetes suas. Jam ab hiemali frigore et glacie liberatas, jam viridantes et germinantes, et post breve tempus messem promittentes. Gaudent illi quidem, non ita tamen ut in messe; cogitant enim fieri posse, ut aeris injuriis fruges enecentur, ac proinde gaudio suo miscant timorem, et jungunt orationem qua impetrent et messem. Ita agamus et nos, exultemus, et lætemur hodierna die: sed et metuemus, ne qua tentatione iterum prosternamur, atque ita pereat seges spei nostræ. Miscemus spem timori, et jungamus orationem indeficientem donec attingamus jucundissimam illam messem, colligendam in die resurrectionis, de qua dictum ab Isa. c. IX. *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe*.

CONCIO IV.

OVUM RUBRUM TYPUS FUTURE GLORIÆ NOSTRÆ.

I. Quia gignimur sicut ovum in hanc et aliam vitam. — II. Prodiimus in resurrectione e sepulcris, sicut aves ex ovis. — III. Animæ beatorum in cœlo expectant corpora sua. — IV. Beatorum corpora diversimode splendent. — V. Beatorum gaudia purissima. — VI. Beatorum gloria inamissibilis.

THEMA.

Surrexit. Mare. XVI.

Ælius Lampridius inter omnia imperii, quæ Alexandro Severo contigerunt, scribit etiam exitisse illud, quod ovum purpurei coloris eadem qua ipse natus est die, in regia positum sit. Id cum matri ejus oblatum esset, aruspices divinaverunt Severum imperatorem futurum. Quod et

postea factum ob virtutem ejus, cui ovum regii coloris regio ominabatur honores. Quid est, auditores, quo hoc sacro die rubrum seu purpureum ovum alter alteri damus, aut ab altero petimus, necnon etiam in ecclesia benedici curamus? Quia paschati cum ovo, et cum ovo rubro? Ergo sane signum boni ominis esse autumo. Nati sumus hoc sacro paschate utique omnes, dum per s. confessionem et communionem paschalem Deo reconciliati ejusque filii facti. Et in hoc die Christus, qui seipsum aliquando (Matth. XXIII.) gallinæ pullos convocanti comparavit, e sepulero redivivus, purpureum nobis ovum attulit, comparatum ejus sanguini: felicissimi etiam ominis, quod videlicet post hanc vitam reges in cælo nos factururus, et gloriosi corporis purpura vestiturus sit. Quid enim ovum istud, nisi spes futuræ illius et quidem beatæ resurrectionis: in qua de sepulero velut ovo novi homines et cæli reges purpura duplici, animæ scilicet et corporis gloria vestiendi sumus? Nam ut S. Augustinus, ser. XXIX. de verbis Domini docet: « Spes nondum pervenit ad rem, et ovum est aliquid, sed nondum est pullus. » Et infra: « Ovum est, et nondum pullus est, et testudine tectum est; non videtur, quia operitur, cum patientia expectetur, etc. » Pictum igitur et rubrum ovum in paschate nil aliud menti nostræ ingerit, nisi spem resurrectionis. Quod ut melius vobis pateat, accuratius contemplabimur.

Ovum bis quasi gignitur, primo ponitur, deinde exclusum vivificatur et fit pullus. Sic homo bis generatur, primo, per naturam in hunc mundum, ubi quasi vitellus in ovo hujus mundi angusto et tenebrioso continetur; sed in regeneratione excluditur ex hoc in alterum mundum, ubi plenam et perfectam acquirit vitam.

I. Ex ovo vita carente prodit pullus vivus; antequam tamen hoc fiat, diu foveri ovum et corrumpi debet, deinde rumpi testa; tum prodit pullus vivus ex ovo non vivente. Sic omnino homo per naturam genitus, fovendus ac disponendus est ad futuram vitam capessendam; postea testa corporis corrumpenda est in sepulero. Inde ad extremum egredietur homo redivivus, novus et glorificatus. Quis non miretur e fracto et tam fetente ovo animal et quidem speciosum, v. g. phasidis, aut pavonis nasci et prodire posse? Sic de fracto et putrefacto corpore DEUS efformabit hominem novum de terreno cælestem, ut ait Sanctus Paulus, I. Cor. XV. hoc est, immortalem, et gloriosum, de mortuo viventem. Præsens etenim vita, quia perpetuo corrumpitur instar ovi, mors est potius dicenda, quam vita.

Unde Paulus quasi jam in mortali corpore spirans, cupit id confringi, et inde liberari dicens: *Quis me liberabit, corpore hujus mortis!* Hoc est, de corpore obnoxio morti, ærumnis, doloribus, fami, siti, frigori, nuditati, etc. ad Rom. VII.

Quare non est, quod alicui impossibilis videri debeat resurrectio, quando simile quid cernitur in fœtu ex ovo prodeunte. Dic enim mihi quid in ovo est? Nonne albumen et vitellus? Albumen nil est aliud quam viscosus quidam humor, vel pituita, et tamen ex illo pullus fit, vitellus pulli nutrimentum est. Jam quomodo gallina sola incubatione ex ovo seu albumine gignit pullum viventem? Ubi in ovo vita? Ubi caro, ubi plumæ, ubi oculi, rostrum, cantus? Potest ergo gallina sola incubatione hæc omnia dare ovo, et non poterit Deus idem præstare ossibus et cineribus nostris, animare scilicet illos, et in pristinam corporis figuram restituere? Ita Spiritus sanctus in prima rerum creatione ex aquis fecit alias creaturas, incubando eis quodammodo, sicut aves incubant ovis suis, ut indicat vox Hebr. *merachephet*, ubi nos legimus: *ferabatur super aquas*, Gen. I.

II. Ex ovo excluso non prodit piscis, non reptile aut quadrupes animal, quod aquis immergi aut terræ adhærere debeat, sed volatile, quod in aere purissimo vivens maxima libertate quaquaversum se librare valet nullo labore, summa facilitate, adeoque totum mundum perlustrare: ad hæc latissime suavissimeque cantat, quasi ab omni imperio et jugo libera, visum etiam habet acutiorem, et limpidiores oculos, carnem sanio-rem et nobiliores, quam cætera animalia, libertatem quoque summam: unde non nisi astu capi, itaque omnibus aliis viventibus, etiam hominibus illudere potest, quod nulli subiaceat, a nullo lædi, deprehendi et detrahi possit. Sic et beati prodibunt in resurrectione a sepulcris velut altes cælestes: *Erunt enim sicut angeli Dei*, Christo teste, terrena omnia calcabunt et fastidient, purissima cæli aura vivent, omnibusque bonis affluent, quidquid in cælo est, celerrimo quasi volatu perlustrabunt; ubicumque esse volunt, illic in momento erunt, et quidem nullo labore, deinde illudent morti, peccato, inferis, juxta id apostoli, loc. cit. dicentis: *Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus?* Cœpit hoc impleri hodie in Christo qui instar avis post resurrectionem in momento fuit, ubicumque esse voluit; Judæis æque ac dæmonibus omnibus illudere potuit, juxta Psal. III. *Ego dormivi et soporatus sum, et exurrexi: non timebo millia populi circumdantis me.* Impleri et in patribus e limbo eductis: qui tunc statim totum perlustrare orbem potuerunt:

implebitur in electis omnibus die resurrectionis juxta prædictionem Isaïæ XL. *Qui sperant in Domino* (en electi ex ovo spei gignendi) *mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquila, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.* Mutabunt, i. e. *invocabunt*; ut est in Hebr. fortitudinem suam, quia corpus, quod hic *seminatur in infirmitate, surget in virtute*, ait apostolus, loc. cit. Qui debiles hic erant, resurgent validi; qui morbis ac defectibus aliis corporis obnoxii, sani et integri; qui deformes, speciosi; qui terrestres, cælestes; aquilis vero similes erunt tum ob majestatem et potestatem regiam, quam in cælo habebunt (sicut aquila super aves omnes); tum ob volatum celerrimum et liberrimum, quo omnia penetrare, et in momento sine labore pervagari possunt; tum ob visum perspicacitatem, qua Deum ipsum videbunt sicut est, uti aquila solem; tum denique ob cælestem eorum habitationem, qua supra cælos, sicut aquila in altissimis montibus et petris habitabunt. Ad illam vitam aspirabant sancti, præsertim morti jam proximi, ut Gerardus S. Bernardi tam natura, quam religione frater, qui ut ipse scribit, sermone XXVI. in Cant. morti jam moriturus, imo ad vitam potius evolaturus, insultare cœpit cantans: *Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? Item: Laudate Deum de cælis, laudate eum in excelsis.* Similiter S. Franciscus, qui morti vicinus in gravissimis doloribus aliud fomentum non habebat, quam ut divinas laudes caneret, et alios canentes audiret. De quo objurgatus ab Elia respondit: *Non licere sibi aliud facere, cum sciret, se brevi cum Deo fore*, ut Bonaventura in ejus vita. B. Dionysius Carthusianus, qui anno integro ante mortem, quam sibi præagii, cantabat inter verba alia illa Isaïæ prædicta: *Sancti qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, etc.*

Et sicut pulli jam in ovo formati rostello suo testam frangunt, cupientes egredi: ita sancti cupiunt liberari e corpore, et in cælum evolare cum Paulo: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et: Cupio dissolvi, et esse cum Christo.*

III. Pulli ex ovis prodeunt vivi quidem, sed implumes et nudi, tenui cum lanugine albicante, aureo colori mixta: brevi tamen plumescunt: interim sub alis matris contenti et securi degunt. Ita et beati post mortem, corporis tegumento carent usque ad communem resurrectionem; ubi demum plumas, i. e. vestem immortalium et gloriosorum corporum accipient. Interim vero tenui quasi lanugine aurea albicante vivunt, gloria scilicet animæ in conspectu Dei. Hoc est quod vidit Joannes, apoc. VI. cum ait: *Vidi subtus altare animas interfactorum propter ver-*

bum Dei, et clamabant voce magna: Usquequo Domine non judicas? etc. Et datæ illis sunt singulæ stolæ albæ: et dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec complerentur conservi eorum, et fratres eorum. Dicuntur esse sub altari, quia etsi Deum vident, ab hominibus tamen non videntur, cum necdum corpora gloriosa pro mercede sua acceperint. Dicuntur accepisse singulas stolas, utpote quivis unam, gloriam scilicet animæ: quia alteram corporis accipient in resurrectione. Et nunc implebitur, quod Prov. XXXI. scriptum de muliere forti: *Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus*, gloria animæ et corporis.

Interim sicut pulli implumes sub alis Dei quiescunt: sed quomodo absque afflictione dices, si alteram stolam adhuc expectant? Respondeo primo, quia dictum est illis a Deo, ut *requiescerent*, inquit S. Joan. Dei autem voluntati nec volunt, nec possunt contraire. Sic mulieres illæ sanctæ Christo addictissimæ in sabbato, quo sepultus fuit Christus, *siluerunt*, ait Lucas, h. e. non excurrerunt ad sepulcrum, quia sabbati præcepto vetabantur. Unde Romæ in cœmeterio S. Priscillæ hæc eorum vox in ipso limine inscripta legitur: *Hic expectamus requiem.* Secundo, quia mora et expectatio illa modica ipsis est, ut subdit Joan. ibid. et c. VIII. dicitur ea mora in cælo silentium mediæ horæ: *Factum est silentium in cælo quasi mediæ hora, etc.* donec scilicet septem angeli mitterentur cum septem tubis ad denuntiandum diem judicii: sed ait: Quomodo tot anni, qui adhuc restant ad diem judicii modicum tempus, et quasi mediæ hora dicuntur? Respondeo tanto gaudio affluere beatorum animas in cælo, ut hanc moram quasi oblitæ brevissimam esse reputent. Confirmatur id ex somno vel extasi illius monachi, qui 300. annis aviculæ cantu demulsus, putavit se paucis horis illum audivisse, ut alibi retulimus.

IV. Pulli ex ovis prodeunt, diversis præsertim non omnes pari nobilitate, forma, magnitudine, pennarum pulchritudine, canendi arte prodeunt; sed alii aliis nobiliores, pulchriores, doctiores, uti vel in ipsis gallinarum pullis patet, quorum alii pulchriores pennas præ aliis acquirunt. Pulli pavonum, phasidum, porphyriorum, psittacorum, corvorum, indicorum, etc. nonne longissime superant pennarum decore pullos passerum aut hirundinum? Pulli philomelarum et acanthidum, cantus suavitate nonne vincunt alios? Ita in resurrectione justorum alius alio pulchriorem corporis stolam seu gloriam accipiet, ut docet S. Paulus, I. Cor. XV. *Non omnis caro eadem caro*, inquit, *sed alia quidem hominum,*